

Futurus Politicus in Logicis informetur,

ORDINE,

*ut faciliora præferantur difficilioribus.*

PERSPICUE,

*ne obscuriora exempla præferantur clarioribus.*

SOBRIE,

*ne nimia speculatio mentem ab utilioribus avertat.*

PRACTICE,

*ut loqui simul discant, qui fundamentis loquendi fuerunt imbuti.*

DOGMATICE,

*ut artificium applicetur ad disciplinas maximè necessarias.*

PRUDENTER,

*ut cuiusvis personæ tantum proponatur, quantum vel ingenii ferre potest indoles, vel materiæ tractandæ conditio requirit.*

Faxit DEUS, ut nobilissima hæc disciplina, quæ rationis usum nobis quam maximè commendat, neq; per ignavos contemptores velut in exilium ejiciatur, neq; per inutilem aliorum industriam spinis ac carduis impediatur: quinpotius ea studiorum perstet felicitas, quæ futuris etiam posteris eruditam patriam polliceatur: ac imprimis habeant Academici Doctores, in quo sibi de Scholarum laboribus præparatoriis gratulentur.

